



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Svb B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

Tit. XIV. De Officio Lectoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

DE OFFICIO LECTORIS.

CAP. I.



LECTOR in Ecclesia Prophetias, quæ in missa legenda sunt, & lectiones pronunciet, quæ ex veteri, & nouo testamento in matutinis dicuntur.

Pueros, si ita Episcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

DE OFFICIO EXORCISTAE.

Quæ imprimis curare, & cauere debeat exorcista. Cap. I.



NEMO energumenis manus imponere, aut causa eijciendi Dæmones exorcismos legere audeat, nisi exorcista ordine sit initiatus.

Is exorcismos memoria mandare studeat, idq; ex libris, Episcopi iudicio comprobatis, & cum res postulauerit, vel eo munere fungi oporteat, id ne agat; nisi consulto, & consentiente Episcopo.

Episcopus autem nemini, ne Sacerdoti quidem permittat, vt id munus exequatur: nisi eius ætatem, & mores probarit.

Caveat etiam, ne intercedat vllus in exorcismis quæstus, neve vlla curiosa percunctatio, præsertim, quæ ad diuinationem pertineat.

Licentia exorcizandi prius ab Episcopo impetranda.

Cap. II.

NE Sacerdoti, clerico ve seculari, aut regulari, exorcismum energumenis adhibere liceat, nisi is exorcizandi facultatem, scripto ex ætate ab Episcopo impetrarit.

Quam facultatem, vbi quis probatus obtinuerit, hæc, quæ mox infra ordine præscribentur, accuratè seruet, atq; exequatur.

Quæ ab exorcista sint prius inquirenda. Cap. III.

ANEQUAM exorcizare aliquem aggreditur, perquirat in primis, energumeni, energumenæve vitam, ac mores, tum exploret actiones, & medicum, si expedire censuerit, consulat, adhibeat ve, vt videat, an quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicuius, aut bilis atra vi, an verò sponte, ac dissimulanter, an deniq; demonis malorumq; spirituum vexatione.

Videat item, an ille excommunicationis vinculo irretitus vnquam fuerit, anq; absolutionem ritè acceperit.